

## BENEVOLE LECTOR!

**A**liud mihi ad manus erat Thema è nobilissimâ Juris publici penu desumptum, nimirùm *de potestate Statuum circa Rem Judiciariam Imperii*, in quo è Diplomatus, aliisque fontibus historicis deducere cogitabam, quomodo I. potestas Imperatoris Judiciaria, tum in Proceres Imperii, quàm alios Reipublicæ nostræ cives tempore *Carolidarum* maxima, sub *Saxonicis Imperatoribus* nihil aut parum diminuta, turbulentis *Henricorum* & subsequantium Regum  
ac



ac Imperatorum nostrorum temporibus, præcipuè invalescente bellorum privatorum licentiâ valdè attrita fuerit. Quomodo præcipuè sub FRIDERICO III. & MAXIMILIANO I. Imperatoris potestas magnam in partem decreverit; Quique per Pacem Westphalicam, & capitulationes novissimas, authoritati Cæsareæ quoad hanc materiam limites fuerint constituti. Ulterius II. quænam hodie sit authoritas Statuum intuitu Rei Judiciariæ sive totius Imperii, sive particularis Territorii, Judiciorumque territorialium relatio ad Leges & Judicia Imperii. Labor hic adeò sub manibus crevit, ut Tractationi magis, quam  
Differ-



Differtationi Academicæ similis jam jam appareat, quamvis necdum ad finem fit perductus. Hanc ob causam ulterius adhuc quoddam temporis spatium illi magis magisque polliendo infumere è re videtur. Aliam igitur ad Differtationem Inauguralem materiam eligere mecum constitueram, quæ speciminis loco solidam circà Jura versandi rationem palam faceret. Verùm, cùm initium Collegiorum jam appropinquaret, subito tales emerferunt circumstantiæ, quæ ad defensionem publicam properare jubebant. Hinc præsentem vix aliquot horarum laborem, adeòque nullatenus adhuc pro dignitate



tate excultum, speciminis Inauguralis loco  
assumere necessitabar. Hunc igitur licet im-  
maturum adhuc partum ut non omnino de-  
spicias, meque potiùs elaboratiora promit-  
tentem ut favoribus tuis Benevole Lector  
non indignum censeas, etiam atque etiam  
rogo.

